

B. N. C.
FIRENZE

1158

7



1158 7

AT

DE CHRISTI
DOMINI
CRUCIATIBVS
ORATIO


DIE PARASCEVES

IN SACELLO PONT. VATICANO

A D S. D. N.

INNOCENTIVM X.

Habita à Thoma Antonello è Soc. Iesu.



ROMAE, Typis Hæredum Corbelletti. 1645.

Superiorum Permissu.



DE CHRISTI
DOMINI
SACRAMENTIS

ORATIO

DIE PREDIGENDE

IN SACRIS RITIBUS VALENTINUS

A N. S. S. S.

INNOCENTIVS

INNOCENTIVS



ROMAE, Typis Leoninae Curiae, 1711.
Invenit in Libreria

EMINENTISSIMO
PRINCIPI

IO. CAROLO

S. R. E.

CARDINALI
MEDICES.

THOMAS ANTONELLVS FEL:



Regium est, geminare beneficia, Princeps Eminentissime. Quam excepisti orationem hanc meam Diuino super Funere illacrymantem æquus auditor, libentibus etiam oculis leges. Amabat illa quidem

4
tenebras suas, ac, ne prodiret in So-
lem, Sol ipse Deo moriente obdu-
ctus umbris admonēbat. Egreditur
tamen amicorum, qui meas nugas,
quod amor solet, aliquid æstimaue-
re, propè conuicijs inuitata, sed
tristis, tum ob argumentum sæpif-
simè ab acerrimis versatum inge-
nijs, in quo noui quidpiam excude-
re, difficillimum fit, tum ob erudi-
tum hoc delicatissimi fastidij Sæcu-
lum, cui vel exquisitiora non sa-
piunt. Vnicum sua in mœstitudi-
ne solatium habet, quòd Tuam,
Purpuram veneratur, atque omni-
bus Hetruriæ Principibus, quo-
rum in me promerita præclara sunt,
animi deuoti iam pridem obsequiũ
in Te vno iterum sistit, ac litat.
Vale.

Q. R. A.



ORATIO.



IN Cælestis Occasu Re-
gis, quando Sol, & sy-
dera offusis Mundo te-
nebris expallescent, &
modulatusq. Orbium
cōcentus abruptitur,
Te quoque B.P. Solem
terræ nubillum in Pur-
pura cum Syderibus
tuis atratis plorare decet. Nimirum opportu-
nior Diuino Funeri harmonia lacrymarum est.
Seriem ego Parricidij longè immaniissimi citrà
eloquentiam indicabo; neque enim dolor fu-
cum amat.

Ergo post Epulum Augustissimum ab Amore
Coniuij Principe institutū ea nocte, quæ mor-
talibus velut Aurora præluxit immortalitatis,
itur in Getsemani Villam ad aucupium ne di-
cam, an ad venationem poenarum? Neq. verò
indagandæ fuere diutius. Pauor, mœstitudo,

ex obiectâ cruciatuum scēna , plurimaq. mortis
 imagine consternatio sese obtulere . Excurrunt
 hæc, atque illæ intrâ Orantis cor affectiones
 coniurate : fortitudo Heroica maior, nostræq.
 genius imbecillitatis vnâ secū dimicant clan-
 destino certamine : riget modò, modò effundi
 nō timidus exæstuat sanguis , tandemq. laxatis
 venarum obicibus apertum tamquam ad præ-
 lium erumpit . Itaneuero ? Amantissimus Pa-
 ter, qui nuper Cælestium in mensa Charitum
 ad filiorum delicias lactescebat, mille nunc toto
 corpore expromit vbera non lacte distenta, sed
 sanguine ? Adeste Generis Humani Parentesne,
 an Parricidæ ? & quam in Voluptatis Hor-
 to ambitiosius Diuinitatem exoptastis, in hoc
 Dolorum Viridario ad hæc Vbera fugite . Vos
 etiam purpureis. hisce imbribus irrigatæ Pacis
 Arbores in Olearum Monte feliciter adolescite,
 venturis quoque sæculis profuturae, vestris enim
 è truncis, vt omine cum bono præfagit animus,
 Oleam auellet suam Innocens Columba Vati-
 cano olim in Colle regnatura . Sed interim ad
 pretiosam hanc tempestatem amoris deuolat è
 cælo Gabriel, additisque calcaribus currenti
 ærumnarum in stad. o, aliquod hinc Iustitiæ
 Vindici defert libamentum , vt quàm lautissi-
 mē paulò post morte ipsa nostri Liberatoris es-
 puletur . Tu quoq. scdissime Desertor, sangui-
 nem, quem precario vendidisti, audes delibare,
 cum genis illis cruento sudore aspersis labra .
 per

7

per summam impudentiam admoues? Neque tamen exuis inhumanitatem, sed osculo ad beneuolentiã composito proditionis plusquam barbaræ diluis aconita. In annulo cordium, amantium nexu gestatum à nonnullis venenum scio, tu fraudum architectus ingeniosior gestas in osculo, ac te scilicet magistro nocentiora oculis oscula nouo crudelitatis machinamento fascinare didicerunt. Verùm dolosa hæc fascinatio è speculo Diuini vultus redibit in Artificis viscera mox plaudentibus Inferis dirumpenda. Osculo bellicum canitur: statimq. lymphati Prædones cum facibus, & armis properauere. Quamquam nec facibus, nec armis est opus, vbi Charitatis in meridie tenendus est Agnus. Vinculis manu Furiarum intextis constringitur veluti sicariorum antesignanus Mæiestatis Deus, qui eo vocis tonitru, quo afflixit Psal. 28. humi cohortem, dissoluere innexam rerum vniuersitatis compagem potuisset: per saxa, per vepres raptatur, cui astra cælo refixa certatim substernerent se: vrgetur, proculcatur, atteritur nunc planè, si vnquam, Flos Campi. Cant. 6.] Vt nam phanaticæ belluæ attriti huiusce Floris odore saperent, ac mitescerent. Me miserum: insaniunt atrocius, debacchanturque in Vrbe, quàm in agro satiuore procella. Calumnijs apud Iniquitatem appetitur, conuicijs proscinditur amarissimis illis quidem, nisi victrix innocentia taciturnitate condiret, manu bis ferrea depalmatur à Milite: ad quem alapæ sonitum.

S. Epir.
de Pass.
Dionisi.

contremuisse cælum; ac Seraphim subiti horrore facinoris alas collisisse visa sunt. Quia tu quoque dexteram armas, ò Pater? Quin fulmen exeris, & in vilissimum caput restitutæ solùm auris beneficio nobile intorques? Intorsisset, opinor; sed, vt honoris inglorij leges expungeret, docere mortales voluit, a lapis reponenda non esse vulnera, nec manus impressæ notas superfuso imprimentis cruore delendas. Iam verò quæ lacrymæ quantumuis disertæ reliquas noctis eius nefastæ Tragædias persequantur? Ementita Veritas, profana Sanctitas, delira Sapientia conclamatur. Diuinorum sydera oculorum impurissimi tenebriones obnubunt; negotioso Infantis ludibrio traducunt vigilata sceleribus otia, vellicant, iactant, quasi pilam agunt; Vultum illum humanæ salutis Aram, eò quisque beator, quò crudelior, impactis ad impiam voluptatem colaphis tangunt, & in necem Seruatoris iurant. Saltem ipsi quoque Petrum æmularentur, qui, profuso iam in lacrymas corde, Magistrum, in quem peieravit, adorat. Ità pernoctatum est. Diluxit aliquando tandem: Sed monstruosa nox quid aliud pareret nisi monstrum lucis, hoc est calamitosissimum diem? Nempè qui Deum videret vtrò, citròque sui ad Emporia sanguinis commeantem, albo stultitiæ pallio à Rege purpura indigno, atque ob intemperantiam, vecordi ludificatum, teterrimo posthabitum, Grassatori, à Præside, vt integritati patrocinetur,

9
rur, damnatum nouis misericordiae legibus ad
fustuarium, & lanienam. Hic enim uerò de
corporis tenerrimi excidio horret animus recor-
dari. Nudus, qui uellit agri lilia, liliū ipse
pulcherrimum, deuincitur ad ferale saxum, ac
prima tela spectantium ab oculis excipit vere-
cundia vulnerata, quæ morum ocellus est.
Virgatores exiliunt asacres, & tamquam vrbe
capta uenas diripiunt aurine dicam, an sangui-
nis? Discindunt Regales humeros, brachia
pectusque dilacerant, depopulantur viscera,
tantum cor non expilant Ætærium uitæ.
Ah parcite, atque isto, qui uestra etiam
ad labra emicat, cruore mollescite. Bis, me-
mini, Ductor olim Israëliticus pereussit petram
gemino potius uerbo, quàm uerbere; quid uos
millenos ictus, millena fulmina repetitis? Iam
torrentes inundant. Neque corpus istud mar-
moreum, aut æneum est, nisi fortè ob constan-
tiam animæ magnæ. Proscidistis Virgineum
agrum; iterari, tertiariuè non oportet; abun-
dè iacta sunt in eo semina felicitatis humanæ.
Heu uota, heu preces irritas. Ferocia, uti cor-
de ad amandum caret, sic aures non habet ad
clementiam addiscendam. Adhuc Lorarij va-
lentissimi laniato in corpore, quod vnica plaga
totum est, vulnera ipsa discerperent, nisi No-
bilis Miles, ut diuinitus ostensum legimus in
Sanctorum Historijs, uincula, quibus ad Co-
lumnæ alligabatur miserabilis Victima, obiur-
gatis minaci supercilio barbaris Lanionibus,
glæ

Mat. 6.
Cant. 2.

Num. 26.
Psal. 77.

Rom. 21.
Ergin a.
I. 2. 4. 5.

gladio discidisset. Pro quo, ut equidem reor, gladio in præmium tam opportuni beneficii à suo Ciue (illum quippè Romanum perhibent) lacerum in Deum collati Roma hæc tua, Pater Beatissime, Cæli Claves accepit. Quamquam à Corona etiam Spinea illustre hoc in Stellas Imperium fuisse propagatum existimò; ut propterea lynceus ille Diuinitatis Inspector Ecclesiam, cuius est Roma adoratum populis caput, Syderibus viderit coronatam. At ea sydera quanti steterè! Asperrimum sentibus aculeatis dumerum Diuino Capiti insertum est, ex quo cruenta nimium fecunditate coronaria Sydera germinarunt. Quid? Eidem Augustæ Sacrorum ioculari etiam purpura chlamydem Sole contextam emit, arundine mortalis inconstantia tessera perenne sceptrum, Cruce Lunam nullis defecturam temporibus Regali pro folio. Vefanis adeò clamoribus, prætentaque Cæsaris indignatione Actores truculentissimi formidoloso ab Iudice in Autorem vitæ sententiam necis extorquent. Libet exclamare: O decreta Sapientum, ò scita populorum. Te appello terrarum moderatrix Astræa: Viden', quàm verè Vates ille cecinerit, librandis rerum ponderibus falli Mortales? Romani Prætoris in trutina pretiosior Deo Tiberius est. Dicam amplius: Regi Regum, ne obeat integra nominis fama, plectendum additur par Latronum. Itaque superato Caluarie Monte

Gigas

Gigas amoris bellum indicturus Vmbrarū Ty-
 ranno funestam in Arborem tollitur, clauisque
 confixus vnà secum ipse nostræ fortunæ solertis-
 simus faber corda hominum figit, perituris vt
 emortua cupiditatibus viuant Æternitati. Af-
 fusus circum spectaculo Sannionum grex illu-
 dit, exsibilat, alteram, ac tertiam agit in Cru-
 cem, cum hortatur, vt de Cruce descendat,
 onerat probris nunquàm exsaturandum; sel
 Draconum aceto rupium domitore dilutum. Dram.
c. 12.
 sitienti propinat. O auara nimis Imperatori
 suo flumina, fontes, nubila, cum ipse interim,
 profusissima liberalitate Adamo inibi sepulto
 sanguinem è vulneribus irrorat, vt iterum efflo-
 rescat ad vitam; intersectoribus veniam, ne
 terra sponte dehiscens tam dira capita absor-
 beat, indumenta Militibus, opima videlicet spo-
 lia beatæ paupertatis, propugnatori Diuinita-
 tis Latroni cælum, Discipulo Virginem Paren-
 tem, hoc est amores suos, toti Mundo Spiritum,
 ac sese dilargitur, inclinato etiam capite,
 veluti supplex, vt quem nascentem haud agno-
 uit, saltem excipiat morientem. Et excepit
 ille quidem, vniuersaque in vltionem armata
 Natura, frementium calculis elementorum,
 ipso Astrorū quasi vocalibus tenebris annuente
 Senatu Parricidas damnauit. Longino solūm
 pepercit, quod naufragis humanas inter pro-
 cellas tutissimum aperuerit portum in eo Late-
 re, ex quo, vt cum Prospero loquar, Columba
 Ecclesia tanto sanguine dotata processit. Ego
 quo-

P. 1. ad
 P. 1. 12.
 P. 1. 12.
 P. 1. 12.

quoque fortunato Militi habeo gratias, quòd
 iterum fecerit Doum sua sub hasta venalem.
 Nullum est, si quod tamen est, Dei pretium, nisi
 amor. Tu interea, benignissime Domine, se-
 pulcrum tuum in lapide excisum patieris, ma-
 gnetem esse nostri Amoris, vt vel istic rerum
 fluxarum immemor agat excubias, vel, si
 dederis, tecum occumbere, quod ma-
 lim, tecum vnà tumuletur au-
 rea postmodum xui me-
 lioris immorta-
 litate do-
 nan-
 dus.



Z

1158.7



